



Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

- + *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
- + *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
- + *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
- + *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.

Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página <http://books.google.com>

Redemptore Favente!

DISPUTATIO POLITICA

De

37.

ORIGINE
JURIS NATURÆ

Quam

Sub Præsidio

VIRI

Excellentissimi atq; Clarissimi

DN. M. VALENTINI ALBERTI,

Metaph. & Dialect. P.P. Philosophicæ Facultatis Affes-
foris graviss. & B. Virginis Colleg: Collegia-
ti meritissimi,

*Dn. PATRONI, PRÆCEPTORIS, stu-
diorum PROMOTORIS perpetuâ observantiâ
prosequendi, colendi*

INCLUTÆ FACULTATIS PHILOSOPHICÆ
consensu

P.P.


ROMANUS FUCHSIUS, Lipsiensis

AA. LL. & Phil. Bacc. ac Magisterii
Candidatus.

Pridie ante Promotionem, qui est IV. Cal. Feb.

M. DC. LXXIII.

Typis JOH. WITTIGAV.



§. 1.



Us naturale strictè sic dictum, & obligativum (Jus aut Lex Naturæ, præcepta naturalia, & Recentioribus nonnullis, jus social. ; jus rationale dictum) est, *quod ubiq; eandem vim obtinet. & non, quia ita videtur vel non, juxta Aristotelem Ethic. L. V. c. 7.* Exposuit verò hanc definitionem omnium rectissimè Philosophus ipse, dum Juri naturali immediatè jus positivum, voluntarium,

legale, aut legitimum opposuit, ut vi oppositionis jus naturale (1.) ubiq;ve, sicut jus legitimum alicubi, in certa scil. Republica, eandem vim obtineat ; & (2.) nòh valeat ex arbitrio humano, quia ita videatur vel non videatur, sicut jus legitimum ab arbitraria Legislatorum dispositione pendet, & à principio, utrum hoc vel alio modo fiat, nihil refert : ubi verò fuerit constitutum, demum refert. Confer Giphanium in *Commentar. p. 400.* Nec objecti differentiam malè urget *Dn. Felden Element. Jur. p. 1. c. 5. p. 14. seqq.*

Juris Naturalis Definitio.

§. 2. Obligatio verò hujus juris tum extensivè tum intensivè summa est. Extenditur enim ad omnes, dum ubiq;ve valet ; & intenditur maximè, dum nullius arbitrio minui vel augeri potest. Imò & Deum ipsum juxta hanc normam passum esse se judicari, observat in aliquot locis Bibliæ Grotius *L. 1. de J. B. & P. c. 1. v. 10. p. 4.* i. q;ve ad extensionem pertinet. Intensionem consummat illud Philosophi, cit. locò : *Jus naturale apud Deos fortè nullo modo se aliter atq; aliter habere.* Scilicet (ut commentatur Seldenus *L. 1. de J. N. & G. juxta Ebr. cap. 8. p. 97. Edit. Arg.*) *tametsi ob depravatos hominum mores ipsa Juris Naturalis capita, dum observationem ipsiq; observationis sive præcepta sive permissiones apud Gentes non satis secundum Naturam instituta habentes, aliter atq; aliter agnoscuntur, videntur, nihilo secius ipsum autόδικον seu quod per se αἰό; ex sui natura justum est, ex Deorum præscripto, perpetuò manet sibi simile,*

Obligatio.

parilemque, semper, & parem obligationis vim obtinet: Id est, planè est immutabile. Et si alia aliorum est Interpretatio. Vid. ex Recentiorib. Nob. *Feldenum Notat. in Grot. p. 27. edit. Jen.*

Orig. Inq-
sitio.

Alia à poste-
riori.
Alia à priori.

§. 3. Tantæ verò obligationis jus haud vulgaris Originis esse, facile constat, non æquè omnibus, quænam aut qualis illa sit. In hac verò rectè dijudicanda probè distingvendum est inter duas cognitiones, quarum altera à posteriori fertur in jus ipsum naturale, agnoscendo illud pro tali, & ab aliis jurib. discernendo; altera præcisè in hujus Juris originem, adeoque causas à priori inquiri, quæ fecerint, quod Jus naturale æquè aut magis quàm lex positiva vires Juris habeat, etsi extra nos non audiatur Legislator. Scholz stylò prior cognitio *ad òmnia*, posterior *ad diòmnia* tradit.

§. 4. Eò verò magis hæc à se invicem discernenda sunt, quòd propiùs nonnunquam à scriptoribus conjunguntur. Sic *Seldenus* l. c. c. 4. p. 43. *In designatione, inquit, atq; definitione Juris naturalis, quæ apud Scriptores solet diversimodè occurrere, aliis ex aliorum Animantium actibus ac usu Jura hominibus aliquot Naturalia petant: aliis Juris Naturalis corpus è Moribus omnium, seu plurimarum Gentium communibus; Ex naturali ratione seu recto ejusdem usu aliis; Et demum aliis è Natura, adeoque Naturalis rationis Parentis, i. e. Sanctissimi Numinis imperio, atq; indicatione.*

A posteriori
una,

§. 5. Ex his quatuor certum est, secundum membrum ad *ad òmnia* tantum aliquò modò facere posse, h. e. ut cognoscere ex parte valeam, quid per modum juris naturalis me obliget, quid non. Dixi: *aliquò modò, & ex parte.* Nam (1.) hæc ratio specificè non infert jus naturale, strictè sic dictum, cum jus gentium quoque, idque proximè, probet. Et (2.) in specie non tam de Jure naturali obligativo, quàm permissivo valet; quæ de re Vid. *Seldenum* d. l. c. 6. eruditissimè differentem. Quibus prænotatis, sic nobis argumentandum erit: Quicquid communi omnium aut plurimarum gentium consensu nititur, id pro Jure naturali (dictis modis, pro generaliori scilicet jus gentium includente, & permissivò potius quàm obligativò) est habendum. Atqui &c. E. Majorem illimitatè sic effert *Cic. Tusc. qu. l. 30. Omni in re consensus omnium gentium Lex Natura putanda est.*

§. 6. Sic verò ad *ad diòmnia* nondum valeo pervenire. Illum ipsum enim consensum alià causâ niti oportet, propter quam sic & non aliter se habeat, unò nec habere possit. Nimirum hoc argu-
menti

menti genus concludit tantum, præcisè pro suo modulo, à postèriori; Indeque aliud præsupponit à priori, cujus est causam exprimere. Confer *Dn. Bæclerum in Nov. Groz. p. 163.* Bèndè *Seldenus etiam d. l. p. 84. Si alia obligationis causa non reperiat, præter ipsarum (gentium) observationem mutuam seu constitutionem, quid veat, quò minus ex consensu, in diversam seu observationem seu constitutionem inire, jus quæcumq; illud pristinum interveniens esse definat.* Vasquius verò, qui quidem non Jus Naturæ ipsum, omnem tamen vim obligandi ejus à jure gent. & civ. derivat, vid. refutatam apud *Dn. Bæcl. l. c. p. 154. 155.*

§. 7. Primum autem, & tertium ac quartum, minimum ex intentione Autorum, rō dōcti tradere debent. Quicquid enim, A priori tres, juxta Singulos in singulis classibus, vel Natura docuit, vel Ratio, vel Rationis Parens seu Deus per insitas notitias jussit, id propter talem causam jus naturale specificè est. De singulis his impræsentiarum distinctè.

§. 8. Ad primum Argumentum refertur illud *Ulp. ff. l. 1. de Just. & Jur.* eumque secuti *Justin. Instit. de Jur. natura: Jus naturale esse, quod Natura omnia animalia docuit.* Confer *Grot. in florum Spars. ad Jus Justinian. p. 15.* Hic verò vox Naturæ vel pro natura naturante, vel pro naturata, & utraq; iterum vel respectu omnium animalium, vel solius hominis accipi potest. Si pro naturante (ceu præter glossam veterem *Fernandus Vasquius, & Michael Ulcurnus* apud *Seld. d. l. p. 101.* exponunt,) & quidem in relatione ad solum hominem, cum quarta sententia coincidit. Optimè *Seneca* etsi generalius de macrocosmo *Lib. 4. de benef. c. 7 p. 31. Quid aliud, inquit, est natura quàm Deus & divina ratio, toti mundo & partibus ejus inserta? Jus natura à Deo datum est: Divina lex est, & ratio toti mundo & partibus ejus fortiter & suaviter inserta.* Si pro naturata, ceu apud *Seld. d. l. Bartolus* interpretatur, respectu solius hominis valet quidem, sed eatenus præcisè, quatenus naturantem præsupponit ac includit, quâ de re deindè §. 46. Animalib; verò brutis natura naturans non jus sed jussum, & Naturata instinctum indidit. Generalius de corporibus omnibus non malè *Dominicus Soto in IV. sentent. dist. 33. qu. 1. artic. 2 p. 602.* inter inclinationem naturæ, & instinctum naturæ, & legem seu jus naturæ distingvit. *Inclinatio enim, inquit, communis omnibus rebus est, sive cognoscensibus*

Prima.

svè cognitione carentibus; inclinatur quippè grave (ut ferrum) ad descensum; & leve (ut ignis) ad ascensum. Instinctus autem est eadem inclinatio in rebus cognoscentibus, sed tamen intellectus & rationis expertibus: instinctus namq; est impetus appetitus cognitionem sequentis. Lex autem iis propriè competit, qui intellectu vigent, ut angelis & hominibus.

§. 9. Simpliciter verò jus naturale ad humanam Naturam referre, quem in modum loquitur *Grotius in Prolegom. de Jure B. & P. p. 4.* minùs tutum videtur. *Vehementer enim* (dicere possum cum *Nobil. Dn. Zieglero in Notis p. 11*) *dubito, utrum humana natura rectè dicatur mater juris naturalis, quippè quæ potius subjectivè se habet quàm efficienter, ceu infra patebit.*

Secunda,

§. 10. Ratio humana in tertio membro similiter vel includit Deum imperantem vel excludit. Rectè enim *Seldenus d. l. p. 88.* *Ratio, inquit, ejusq; usus dupliciter sumitur: Aut quæ per se simplex est nudusq;, nec alicujus humanâ naturâ superioris seu indicationem seu auctoritatem respicit: Aut quæ Auctoritatem ejusmodi seu indicationem Boni maliq;, officiorumq;, debitionis terminos designantem agnoscit.*

§. 11. Inclusivè accepta Ratio non est subordinans sed subordinata respectu Dei, atque de hac non quæritur, *vid. Infra §. 46.*

Eaq;ve

Triplex h. l.

§. 12. Exclusivè verò aut seorsim, citra auctoritatem superioris Numinis spectata, tripliciter iterum h. l. considerari potest; vel pro ipsa natura rationali; vel pro ejus habitu naturali; vel deniq;ve pro actu, judicio & imperio naturali.

§. 13. Ubi notandum est, de his tribus quidem apud Scholasticos & Moralistas acriter disputari, quodnam scil. eorum propriè sit jus naturale; quæ de re videantur *Commentatores ad qp. 94. artic. 1. primâ secunda Thoma.* Ad nos tamen illa eatenus tantùm spectant, quatenus Originem Juris Naturalis à ratione perversè deducunt. Directè enim non de Origine, sed de essentia juris naturalis loquuntur. Hinc nos eâ tantùm ex parte has opiniones examinabimus, secundùm quam in Originem Juris Naturalis impingunt.

I.

§. 14. Hòc modò peccat circa primam sententiam *Vasquez disp. 150. cap. 3.* apud *Gordon Jes: it. Theol. Moral. Tom 1. L. 2. q. 5. c. 1. n. 1 p. 286.* Argumentum enim hujus opinionis d. l. præcipuum est: *Sicut essentia sunt tales in se, aut extrinsecam causalitatem, nec inde depen-*

dependentes (licet creata omnis essentia quodammodo derivetur & dependeat à Deo ut est essentia, & ratio primi ac infiniti entis;) ita in actionibus moralibus sunt aliqua intrinsecè, ex se, & naturâ suâ vel honesta vel turpes (ut mentiri) & ita immutabiles, ut in hac sua malicia vel bonitate non pendeant à causa extrinseca, judicio, aut voluntate ullius: Sed ex intrinseca sua ratione sunt disconvenientes vel convenientes naturæ. *E. naturæ rationalis, ut est prima mensura talis actionis, habet rationem legis.* Huc refert Gordonus p. 289. illud Aristotelis 2. Ethic. c. 6. de furto, homicidio, & similibus: πάντα γὰρ ταῦτα καὶ τὰ τοιαῦτα λέγεσθαι τὰ ἀντὶ Φαῦλα εἶναι. ■

§. 15. Secunda sententia (prout illa proponitur apud Thomam 1. 2. qv. 94. artic. 1. n. 1. 2. & 3. & Commentatorem Joan: Maderum p. 355) expressè in divinam Originem juris naturalis non peccat. Nisi verò habitum per actum suum citra iudicium Dei Legislatoris nos obligare statuit. Quò sensu à tertia sententia non differt, nisi sola mediatione; quasi juxta illam actus immediatè, secundum hanc habitus mediatè per actum nos obligaret. Nihil igitur seorsim de ea tradendum est.

§. 16. Tertiæ sententiæ Patroni vel categoricè vel hypotheticè loquuntur.

§. 17. Primæ Classis thesin rotundè format Seldenus l. c. c. 7. p. 86. Quemadmodum, inquit, in Mathefi post datam lineam, angulum, planum, circum, insequuntur etiam principia quædam nemini non primo intuitu, qui oscitanter non intueatur, pro Veris agnita, undè etiam conclusiones non minus certa inferuntur; ita etiam in ipsis Moralibus disquisitionibus seu Rationis vitæ instituenda, quam Practicam nuncupant, primordis. post data quædam, veluti Tutelam sui, rerum in vitæ commodum usum, sexuum conjunctionem, speciei propagationem, & quæ cætera venire solent nomine Boni ac Honesti (quod primum hic est objectum, ut in Philosophia prima Ens) naturaliter oriri volunt ex ipsa recta ratione præcepta aliquot interdicit, in universum obligantia, quibus Bonum illud ac honestum conservetur, præpediatur, & contrarium. Testes quoque diversorum subelliorum ibi citatos vide.

§. 18. Hypotheticè loquentes diversò stilò utuntur. Deum quidem hi omnes à jure Naturæ hypotheticè separant, h. e. jus naturæ considerant, ac si sine Deo Legislatore esset. Hæc separatio igitur

igitur consistit in sola cogitatione. Cogitant verò aliqui hi Deum tanquam non existentem, aliqui tanquam non prohibentem. Priorum dictio rigidior, posteriorum mollior est.

(a.)

§. 19. Nec in Scholasticis quidem mirandum est, si abstractendo ab existentia Dei, pro more rigidiùs loquantur. Dignior observatione est in *Hugone Grotio*, politissimi oris ac summo Viro, hic ipse stilus, quò usus prolegom. in *Libb. de Jur. B. & P. p. 3.* Hac scilicet præcepta naturalia strictè dicta, locum aliquem habere dicit, etiam. *si daremus, quod sine summo scelere dari nequit, non esse Deum, aut non curari ab eo negotia humana.* Sed has elegantias, scil. hausit ex *Thoma Aquinate*, notante *Nob. Zieglero p. 7.* incautiùs horum hominum argutias mutuatus, quos serò aliàs, & hujus ipsius operis causa attingit; ceu observat *Dn. Böclerus p. 22.*

(b.)

§. 20. Mollitiùs loquitur Jesuita *Gordonus d. l. p. 291.* *Si Deus non præciperet, quæ sunt legis naturalis, an essent & quo modo honesta, vel mala & peccata? It. Admittatur hypothesis, quando non est ad aliquid inferendum, sed ad explicandam rei naturam.* Præsupponit verò, J. N. esse actum aut judicium rationis.

§. 21. Utrisque tum qui rigidiùs, tum qui molliùs loquuntur, satisfacit accuratissima responsio *Celeberr. Ziegleri d. l.* quam mutuari nobis liceat. *Quia, inquit, hic agitur à Grotio (cæterisque) de Obligatione, quæ tenetur homo sectari bonum, & fugere malum, quæ tenetur suum cuiq; tribuere, quæ tenetur alijs benefacere; obligatio autem talis imperium aliquod præsupponit, quod hominis conscientiam cogat, & in ordinem redigat, non potest id alii, quam natura naturanti, Deo ter O.M. adscribi. Positò hóc imperiò, non poterit Grotius extra Deum, aut sub hypothesis, non esse Deum, talem obligationem considerare. Interim tamen hoc non nego, esse in Deo æternam aliquam legem; b. e. rationem divina sapientia, directivam omnium actuum & motuum in suos fines, & jus aliquod naturale immanens antecedenter ad omnem liberum voluntatis actum, secundum quod non potest velle, quod juri illi repugnat. Quæ autem in hominibus est Lex naturalis, à Deo est, non tantum ut effectuore & implantatore, sed etiam ut Legislatore imperium suum exercente.*

§. 22. Ex quibus verbis liceat nobis distingvere (1.) inter jus naturale permissivum & obligativum; & (2.) inter legem æternam in Deo & legem naturalem in hominibus. De priori distinctione vid.

Responsio ad
sententiam
hypothesis
in tertia classe.

vid. præ aliis *Seldenum L. 1. c. 8. & Dn. Bæcl. p. 143. seqq.* De posteriori *Thomam 1. 2. qu. 93. & 94. totis*, ejusque *Commentatores*; & ex nostris Theologis *B. Meisn. in dissert. de Legib. totò Lib. 2. & 3.*

§. 23. Applicatio fiat talis. 1. Permissivi juris naturalis actus aliqui (de quo vide omninò *Seld. p. 104.*) liberè ac licitè aliquando exerceri potuerunt. Sed de permissivo jure non est quæstio. De obligativo verò id negatur simpliciter per rationes adductas. Confer Celeberr. *Böclerum p. 7.*

§. 24. II. Quæstio hïc non est de lege æterna in Deo, sed naturali in nobis. Illa tamen hujus fons est & regula, tradente *Thomâ* quoque *d. l. qu. 93. art. 3.* Hęc verò Regula non admittit Indifferentissimum Moralem, quò scilicet omnia indifferenter à Deo præcipi & prohiberi posse, statuunt. Sic *Occam in 2. dist. 19.* apud *Maldorum alleg. 1 p. 363.* tantâ utitur licentiâ, blasphemandi potius quàm philosophandi, ut non tantùm censeat, Deum posse hominem absolvere à præcepto amoris sui, sed etiam præcipere se odio haberi, eoque casu fore Dei odium meritorium. Damnata verò Parisiis meritò hęc sententiâ fuit. Et rectè contra eam *Nob. Dn. Zieglerus*, negat, Deum posse velle, quod legi æternæ repugnat. Ut adeò hęc quidè se habeat antecedenter ad omnem liberum voluntatis actum; per hoc tamen non est vel extra vel citra Deum; nec uti jam diximus, de ea quæritur. Lex verò naturalis dependet omninò à Deo necessariò, ratione existentiz, tanquam ab effectuore & implantatore, & ratione efficientiz, tanquam à Legislatore imperium suum exercente; quâ de re infra pluribus §. 32. seqq.

§. 25. Atque per hanc distinctionem satisfit simul sententiæ Respons. ad primæ §. 14. Quemadmodum enim essentiz creatæ (ut invertamus sententiam rationem Adversar.) necessariæ quidem sunt, sed propter convenientiam cum lege æterna: Ità principia quoque moralia pro necessariis haberi debent, sed propter eandem convenientiam cum eadem lege. Et, quia, & in quantum hęc in nobis obligativa esse debent, nobis deindè in jure naturali sunt manifestata. primam.

§. 26. Duplex enim est necessitas absoluta (prout hypotheticæ opponitur) in Metaphysicis: Alia dependens, alia independens. Hęc soli Deo, illa essentiis creaturarum competit; quo sensu hominem esse animal, absolutè necesse esse dico. Et ad hanc absolutam & dependentem necessitatem referri quoque potest jus natu-

turale, & ejus valor. Sicut enim essentia creaturarum dependent à mensura illa in divina mente ab æterno concepta: Ità jus naturale, quod, & in quantum obligativum est, ab ejus jussione dependet.

Responsio ad
sententiam ca-
regor. in clas-
se tertia.

§. 27. Illis verò, qui in tertia classe liberrimo ac simplici Rationis disquirentis usu innitebantur, opponi possunt ejus varii defectus. Quis igitur certum & immutabile Jus ferret? Deficit verò tum intensivè tum extensivè.

§. 28. Intensivè; quia ratio solitariè spectata, & quatenus talis solum, & simplex, svaedet & demonstrat, non jubet, aut ad officium, nisi superioris eò, qui jubetur, accedat simul autoritas, obligat. Quod Legis data proprium; sunt verba Seldeni d.l. p. 91. Hinc sibi relicta ratio relinquere seipsam suaque consilia nonnunquam posset, nisi intra carceres per agnitionem superioris contineretur. Quis & in quicquid simul omnes etiam se obligari quacumque, ratione velint, eò pariter & omnes se solvere ritè posse nemo non videt, nisi etiam superior aliqua homine autoritas ipsos ità velit manere obligatos. Rem se aliter habere; fructu de hominibus singulis sui pariter, ac seorsim juris, fructu de eis in corpus civile sociatis loquamur, ne facilius quidem potest excogitari, quàm duabus lineis rectis, sine aliâ, quæ utramque pariter terminet, spatium qualecumque, comprehendendi, aut Extrema invicem continua fieri sine medio, quo conjungantur, aut demum numeros, qui pares sunt, sine unitatis aut imparis velut ab externo adjunctione, crescere posse in impares. Sic elegantissimè Seld. p. 93.

§. 29. Extensivè deficit, quia in omnibus, imò sapientibus quidem, eadem ratione se non habet. Id verò, ut exactè intelligamus, distingvimus inter conceptum genericum & specificum objecti Juris naturalis. Illum, non æquè hunc Ratio solitariè spectata in omnibus assequitur. Perindè (quod simile est Seldeni p. 89.) ac si de mensura nomine quidem tenuis, veluti pedis, ulna &c. satis essent concordantes, de utriusque, intereà quantitate mirè discrepantes. Declarari id potest per S.B.&M. morale. Inter Bona & mala moralia dari summum, idque sectandū hoc fugiendū esse, dicitur Ratio; sed in conceptu specifico sæpius aberrat. Hinc CCLXXXVIII. sectæ hæc de re, saltè possibiles, ex Varrone apud Augustin. L. 19. de Civ. Dei c. 1. p. m. 760. Conf. Seld. d.l.

Sententia
Nostra.

§. 30. His igitur omnibus rejectis, restat Deus, cui à quarta classe ortus Juris Naturalis adscribebatur. Pro hac sententia, quam nostram quoque facimus, vide vota ac testimonia Philosophorum, Legis-

Legislatorum, Theologorum tùm veterum tùm recentium, Jcto-
rumdeniqve, in selecta copia apud *Seldenum l. 1. c. 8. tit. 6.* Notatu
præ aliis digna est ejus observatio, quâ Patres Græcos per λόγον in
hoc argumento, non tàm naturalem hominis rationem, quàm ipsum
Verbum seu Numen, quæ persona est Trinitatis secunda, intellexisse
tradit. p. 99.

§. 31. Potest verò jus naturale considerari, tùm prout est ali-
quid in nobis existens, tùm prout in actionibus nostris valet nos ob-
ligare. Priori modò respicimus ejus existentiam, posteriori effi-
cientiam. Utroqve verò originem suam habet à Deo, ceu distinctè
nunc probabimus.

§. 32. Ratione existentiz dependet omninò à Deo tùm obra-
tiones alias generaliores, tùm ob hanc specialissimam præcipue, 1. Probatio e-
jus ratione exi-
stentiz J.N. quòd inter reliquias imaginis divinæ debeat numerari. Hòc sensu
optimè *B. Meisnerus Lib. III. de Legib. qu. 3. n. 2. p. 170.* Lex, inquit,
natura ante lapsum & post lapsum non differt sòla, sed tantùm perfo-
ratione, quòd ibi perfecta ac distincta fuerit, hic imperfecta & obscura
fit. Et p. 121. *Sicut Deus & natura rectè dicuntur causa hominis efficien-*
tes; ità & omnium eorum, quæ à prima generatione homini insunt.
Similes locutiones Philosophorum vid. apud *Seld. l. c. p. 94. 95.*

§. 33. Pro duplici verò hypothesi de origine animæ humanæ
duplex quoqve assignatur origo juri naturali, respectu Dei; vel im-
mediatà; si anima creetur; vel mediatà, mediante naturâ, si traduca-
tur. Hypotheses verò illas excutere, alterius loci est; etsi non nege-
mus, nos cum Præcellentissimis ex Nostratibus Theologis Traduci
favere. Vide, quantum rem præsentem attinet *B. Meisnerum cit. l.*
p. 122. & 159. 160.

§. 34. Ratione efficientiz, aut in quantum nos obligare valet 2. Ratione Ef-
ficientiz. Jus Naturæ, quæri potest tùm an sit, tùm quomodo sit à Deo?

§. 35. Quæstionem an sit, graviter decidit *Dn. Baclerus d. l.* (a.)
p. 38. Conscientia, inquit, *primario apud omnes, qui eam non oppres-*
sam cupiunt: quam obligat omnia ratio naturalis, tanquam tacita qua-
dam Lex, cui Autoritatem præstat, non principis alicujus, sed Principum
Principis nutus, voluntas, jussio. Et p. 7. *Certum est juris rationem non*
dari nisi per imperium & obligationem: adeoq; juris naturalis rationem,
sine imperio & indicatione supremi Numinis, in dictamine recta ratio-
nis, & per illud, nullam esse. Similia testimonia vid. apud *Seld. l. I.*
c. 8. tùm ipsius, tùm aliorum, quos citat, plurium. Elegans est illud ex

Quod sit à
Deo.

*Platone in Minoe, qui sceptrum Minois apud Homerum εἰδὲν ἀλλο
δαίαν dicit, ἢ τὴν κινδύαν ἔδειξας, nil aliud esse quàm doctrinam seu di-
scipinam à Jove acceptam.*

§. 36. Ratio verò facilè dari potest. Agimus enim de jure naturali obligativo, quatenus obligativum est. Hinc Lex & jus nobis h. l. idem sunt; etsi aliàs differant. Vid. *Jesuit. Contzen. Lib. V. Politic. c. 2. p. 272.* Est verò obligativum, respectu omnium hominum, etiam eorum, qui inter homines nullum superiorem agnoscunt. Horum verò respectu quis juri naturali auctoritatem præstare posset, nisi Rex Regum, Dominus Dominantium? *Qua res enim alia efficit, inquit Dn. Bæclerus p. 55. ut fœdera & jus jurandum servent, qui nullam vim humanam formidant? an metus infamia apud homines? at hunc declinare aut sanare, ac innoxium reddere non debilibus remediis possent.* Unde sub fin. cap. 7. apud Seld. p. 93. necessitas obligationis à superiore tanta, ut in Paganorum disciplina veteri, nec Dis ipsis obligatio aliqua ad pactum promissumvè servandum, qualem scilicet ritè satis violare nequirent ipsi, superinduceretur, nisi palude stygia. superioris in hanc rem Numinis nomine invocata. *Ambrosia item & Nestaris Deorumq; consortii interdictio temporalis, pro pœna violationi imminebat. Ne quidem inter Deos supremos obligationem invicem admittere quibant citra Numinis ipsis supremis superioris fœctione.*

§. 37. Sufficere potest hæc obligatio in se intensivè summa, juxta §. 2. cæteris hominibus, etsi respectu Judæorù, quatenus hæc præcepta ministeriò Moysi in Decalogo externâ promulgatione lata sunt, nova accesserit. Aliàs verò Jus naturale & morale specie nõ differunt. *B. Dn. D. Danhauerus Colleg. Decalog. disp. 1. §. 20 p. 15. ibidemq; sapius. Confer Rivetum in Explicat. Decalog. Exod. XX. p. 9. Jus natura, inquit Dn. Bæclerus p. 4. egregiè est in Decalogo expressum: atq; ita quidem accuratè perfectèq;, ut prorsus existimem, ethnicos hanc methodum unicè amplexuros fuisse, si ab ipso Deo promulgatam, tabulisq; comprehensam Legem Natura credidissent.* Hinc studium *B. Melancthonis*, quo præcepta naturalia ex Decalogo in Philosophia morali eruit ac deducit, non unò locò commendat p. 4. §. 9. Quò etiam pertinet demonstratio Decalogi, *Nicloai Hemmingii*, quem Legis naturæ Epitomen vocat, in *Apodictica Methodo de Lege natura superiori seculo A. 77. Witteberga impressa.* Extat præterea Mosaicarum & Romanarum Legum collatio, cum Notis *P. Pichai*; sed illa non est hujus loci.

§. 38. Notanter autem dictum fuit: *Jus naturale & morale specie non differre*. Aliàs enim septem modis differunt, (tempore, modò tradendi, subjectò, causà instrumentali, perfectione, perspicuitate & effectis) quos recenset *B. Meisnerus cit. l. p. 192. 193.* Neq̃ve nullus harum differentiarum usus est. Sic enim v. g. *Lex ratione materia, ipsius scil. juris naturalis, omnium hominum mentibus insiri, omnes quidem gentes obligat: ratione tamen ministerii, quatenus repetita & à Mose tradita, ad solos Judæos pertinet, uspotè quibus solis promulgata fuit. Nam his solis data fuit (1.) ut conditio antecedens jus ad vitam. (2.) ut conditio veteris fœderis. (3.) ut sub maledictio retinens omnes Legirupas. Confer, quia Lutherus habet von Dreyerley Gesetz. Schilern in Praef. V. T. B. Dn. Danb. l. c. §. 21. p. 17.*

§. 39. Omnipotentior igitur, quoad potestatem legislativam, Deò ipsò videri vult Legislator hodiè Romanus. Deus enim Legem suam iis promulgat, quos debet obligare. Atqui Romani Pontificis decreta non necesse est omnibus publicari, ad quos spectant. Sufficit, Romæ illa esse publicata. *Probabilior enim inquit Leonardus Lessius, Jesuita, in praesent. Theolog. posthumis p. 241. & ferè communis sententia tradit, decreta Conciliorum & summorum Pontificum non egere promulgatione in Provincia: ut incipiant obligare, sed sufficere promulgationem solenni ritu factam Roma: quâ factâ, ubiq̃ vim & robur habere. Quod etiam servat stilus Curia Romana. Unde summus Pontifex in Bulla confirmationis non jubet illa amplius promulgari, sed in virtute sancta obedientia precipit ea tanquam sufficienter promulgata, ubiq̃ diligenter & inviolabiliter tam in judicio quam extra judicium observari.* Ex hoc fundamento Concilium Tridentinum Delphis integrò bienniò ante promulgationem provincialem valuisse *ibidem* decidit Jesuita.

§. 40. Etsi verò ob promulgationem Mosaicam Decalogus nos Christianos novâ obligatione non onerat; *reverentia tamen juris Naturalis non inscripti tantùm hominum mentibus; & tabulis divinis humanisq̃; Sed Christi ipsius doctrinâ, uti loquitur Dn. Baclerus p. 34. tantoperè commendati explicatisq̃, majus obedientiæ studium præ gentibus à nobis exigit. Imò repeti hac Natura sanctio potest, legibus moribusq̃, gentium; imò legibus singularum civitatum. Pleraq̃ enim omnia jura Natura, civili Jure repetuntur; ac denuo precipiuntur.* Verba sunt iterum *Dn. Bacleri p. 9. Sæpius nimirum, si non scientia, saltim Autoritas Juris Naturalis, consuetudine*

dine peccandi obscuratur, adeoque externo quasi subsidio iuvanda est. Hâc verò ratione, ab extra, nova apud nos obligatio accedit juri naturali, præter intrinsicam ab intra nos obligantem. Sed de quaestione an sit, satis.

(B.)
Quomodo sit
à Deo.

§. 41. Quomodo verò fiat, nunc quoque dispiciendum est. Non autem hîc quaerimus de existentia Legis Naturalis, quò scilicet illa modò in nobis incipiat existere; sicut eò respiciens, *Jesuita Malderus l.c. p. 355.* ex hypothesi scilicet de creatione animæ in generatione hominis: *Ecce Deus, inquit, legem Naturæ, quando signat super nos lumen vulnus sui, & in cordibus nostris scribit præcepta legis naturæ, quod sit eò ipso, quò animam rationalem infundit.* Dicitur est hac de re *supra §. 31. 32.* Hîc quaestio tantùm est de efficientia, sive obligatione Juris Naturalis in actionibus nostris, quò modò illa à Deo pendeat.

§. 42. Ad hoc intelligendum præsupponimus (1.) Præcepta juris naturalis esse principia congenita practica; & inter theoretica esse notitiam Dei naturalem insitam; de quo vid. *B. Meisnerum de Leg. L. III. qu. 1. p. 124.* Præsupponimus (2.) notitiam Dei naturalem insitam non esse puram, nudam, ac meram potentiam. *Quamquam enim non insit homini notitia de Deo, ante actionis usum & exercitium, quantum ad speciem expressam, & ideam aliquam mente conceptam; non tamen negandum arbitramur, in homine dari sive dispositionem aliquam sive quoddam analogum habitui, aliquam nempe τολείωσιν potentiam intellectuales in homine post lapsum reliquam, cujus beneficio homo Deum quædam antenu cognoscere possit sine Magistro. Dn. D. Calovius Tom. 2. system p. 80.* Reliquæ enim imaginis divinæ hîc imitantur imaginem ipsam, tanquam pars totum, adeò, ut, quemadmodum imago habitus fuit, ita reliquæ analogum ejus sint. *B. Meisn. cit. l.p. 170. Dn. D. Calovius d. l. p. 82. Sicut enim ex ingenti flamma, post rostitum incendium, aliqua favilla; & ex magno edificio post dirutionem, rudera quædam supersunt: Sic etiam de connata imagine post transgressionem, quædam scintilla γρόσως, quidam igniculi virtutis, seu rudera primæ perfectionis mansêre reliqua in hominum natura. Simile est B. Meisneri p. 141.*

§. 43. Hactenus igitur principia congenita, tum practica tum theoretica, nondum per modum actus, sed tanquam analogum habitui se habent. Reverà tamen, justò tempore, actus fiunt. Atque tunc Deum esse, tum seorsim, tum conjunctim in & cum cognitione principiorum practicorum, ex innata notitia apprehendo. Imò hîc

hoc alterò modò non tantùm Dea esse, sed etiã Legislatorem cum ac Judicem esse, cognosco. Hinc pœnã cognitio quoqve imminētis in transgressorem legis naturalis, sine cuius sensu nunquam illa, adeoq, nunquam sine terrore animis humanis obversatur. Dn. Baclerus p. 38. *Atq, hic ἁποδιδασκωὶς ἔσσιπτα certaq, Numinis supremi vindicta, ac iudicium, Tragicorum Philosophiam concexuis ac implevis; qui in eo toti sunt, ut ostendant, ea, qve in iura natura peccantur, etiãsi humanum iudicium effugiant, diviniis terro & graviter vindicari.* Idem p. 53. Vide testimonia ibi plura.

§. 44. Quomodo igitur id homo religabit, ad quod sub gravissimã pœnã Deus nos obligavit? Putant verò plurimi ex Pontificiis, talem dispensandi facultatem in iure naturali, saltem aliquò, v. g. adimplendò juramentò, ratò matrimoniò dissolvendò &c. Pontifici Romano competere; quos inter est præter Sanchez, Azorium, Gutierrez, Navarrum, aliosqve, magni hominis Moralista Martinus Bonacina Tomò II. operum, tractatu de legibus disp. 1. qv. 1. puncto 2. n. 12. p. 4. Sed pro mala causa non melioribus rationibus pugnat. Allegat experientiam. Atqvilla locò Rei consistit, de quo iudicium ferendum est. Urget matrimoni rati dissolutionem. Atqvide eo quoqve qværitur. Similiter, an ad regimen & bonam animarum gubernationem aliquando dispensatio iuris Naturalis conducat, in qvæstione est. Etsi hæc argumenta, καὶ αἰσθητικῶν, adversus alios Pontificos, qui talia exempla approbant, & nihilominus dispensationem in genere negant, nonnihil in recessu habere fatemur. Inconstantia enim sententiarum in adultores facilè cadit. Notari verò hæc sententia Pontificiorum potest, contra Claudium Carninium in oppugnat. turris Babel c. 1. p. 10. seqq. ubi de nobis fingit, ac si à legibus omnibus, etiã divinis, soluti esse velimus.

§. 49. Per hanc verò causam Juris Naturalis, quam Deum esse Ratio Causa dicimus, humanam & rectam rationem non excludimus, sed sub subordinate Deo, tanquam subordinatam, comprehendimus, juxta §. 11. Atqve J. N. hoc modò per subordinationem admittimus originem Juris naturalis ex conditione humana natura à ceteris animantibus plurimùm differentis, cum ob societatis ad humanum intellectum composita excellens studium, cum ob iudicium & dictamen recte rationis, faciendæ & omittendæ designantiæ: ceu sententiam Grotii in Prolegom Libb. de Jure B. & P. nervosè effert Dn. Baclerus p 43. Sed non ut accedat tantùm reverentia insita & sensus divini Numinis, sicuti Idem ib.

ex mente *Grotii* pergit; verum ut prior sit tanquam causa efficiens, adeoque præcedat subordinatam sibi rationem humanam.

§. 46. Præcipue verò usus rationis hodiè in statu corruptionis haud vulgaris est in applicatione axiomatum juris naturalis universalium, ad facta particularia. Nam in hac applicatione jus naturale latius patet in statu corruptionis, quam integritatis. Sic v. g. utriusque statui convenit hoc axioma universale: Superioribus esse obediendum. Applicat hoc status integritatis ad Deum, status corruptionis ad Præceptores, Magistratum perversum &c. Pertinet huc illud *Bonaventura Baronis Curs. Philos. Tam. 3 p. 383. Lex Natura nunquam desinit obligare, & consequenter etiam Beatos ligat, & tamen in Beatitudine sine dubio non erit proprietas bonorum.*

Ne quidem
R:sta.

§. 47. Rectam verò, non corruptam, rationem intelligimus. Male ergò *Hobbesius* statum merè naturalem nominat, & fingit: qualis non esset homine dignus, aut naturalis humanus, sed belluis aptior, quarum natura rationem & orationem ignorat. Nam ut omnia omnibus liceat agere, appetere, possidere, nulla est ratio, nulla natura rectè atq; integrè judicans, qua distet. Depravata natura (ea enim est, qualem isti nobis describunt, & à *Cicerone* sapè vocatur) impetus ejusmodi esse possunt, non dictam rectam rationis. *Dn. Baclerus p. 50.* Sed missum hominem faciamus, ab aliis castigatum, sed non emendatum, qui monitus de errore ab *Amicis* in *Gallia*, viris doctissimis, pertendit sententiam; apud eundem in præfat. ad *Leti. in fin. & Comment. in Prolegom. p. 47.*

Votum,

§. 48. Nos verò, postquam Deum, Juris Naturæ Autorem Optimum Maximum, agnovimus, eundem supplices (verbis *B. Meisn. p. ult. 666.*) veneramur, ut salutare Leges conservet, legumq; nutritios custodiat, quò Pax & Justitia se invicem osulentur, piamq; & quietam cum omni sanctitate & aequitate vitam semper transigamus: *Ipsi soli Benedicto Deo sit laus & Gloria sempiterna,*

Amen.